

182

180

186

176

191

171

231

131

281

081

Ende

Anfang

167

ad propria remeassent. In diebus festivis, dum verbum Dei
in galēa facerem, multum et terribiliter contra illos lusores
clamavi, aliquos Dei gratia averti; aliquos vero magis duros
reddidi: qui cottidie a mane usque sero ad tenebras sederunt
ad lusum habentes in mensis ante se L. LX. C. aut CC. du-
catos, quas ad unum ludum exponebant. Illo ergo die fuit
laetitia magna licet stulta in societate mea, propter illius
panni serici lucrationem.

Decima octava die post ortum solis habuimus ventum
tenuem, qui contra Cretam paulatim navem nostram movit.
Circa meridiem vidimus quandam armatam galēam non longe
a nobis in mari vagantem, quam nostrae galēae armiregio sic
ad se vocavit. Emisit contra eam bombardum, cuius sonitu
audio illi, qui eam gubernabant, proram statim converterunt
ad nos, et remis eam usque ad nos traxerunt: et injecta
scapha in mare patronus ejusdem galēae et armiregio ejus
ascenderunt ad nos in nostram galēam et colloquebantur quam
diu cum nostro patrono et gubernatoribus. Nam et ipsa galēa
S. Marci de Venetiis erat sicut et nostra. Est enim illa con-
suetudo maris, quod quando duae galeae vel plures se conspiciunt,
illa, quae principalior vult esse, aliam modo praedicto advocat.
Si venetiana galēa est, major vocat minorem, et oportet ut
minor compareat. Si non est galēa venetiana, si venit, dum
vocatur, bene: si non venit, statim movet se illa, quae voca-
verat, contra eam omni conatu; et committere cum ea bellum
festinat, (B) disponens bombardas, arcus, balistas, et jacula,
quod alii cernentes si timent, remittunt velum in signum sub-
jectionis et amicitiae. Si non remittunt velum, signum est
quod volunt reniti et rebellare, et tunc ab utraque parte ad
congregationem se disponunt. Advesperascente itaque die in
Cretam venimus, et hospitium quaequivimus pro coena, sed non
aliud hospitium invenimus, nisi quod pudet dicere prostibulum,
quod regebat quaedam mulier theutonica, magistra domus, ad
quam ducti fuimus, quae moxut ingressi fulmus, omnes nobiles,
sacerdotes et religiosi, domum mundavit, eamque cum omnibus
cameris nobis assignavit. Erat autem mulier illa urbana et
reverentialis, et discreta, et omnia nobis necessaria procuravit
abunde, et habuimus gloriosam coenam cum vino cretico, quod

